

dubitare licet. Ea propter in casu emergenti pro asylo absolute standum, aut saltem reus in loco asyli manutenendus videtur, donec Romana Curia interrogata responsum, ac resolutionem mittat.

113. *Ob furtum, vel alia delicta in ecclesia commissa, nullus privatur asylo.* — Quæritur VII. An etiam propter furtum vel alia crimina in ecclesiis, vel cœmeteriis commissa privetur quis immunitate asyli? Quamvis affirmativa communissima doctorum iurique communi fuerit, et adhuc sit conformis, præsertim si spe immunitatis commissum est delictum, arg. c. fin. h. t. ubi ratio legis omnes in locis sacris tangit, cui Summarium concordat, ibi: « Qui (ecce! sine distinctione) sub spe immunitatis in ecclesiis, vel cœmeteriis delinquant, immunitate non gaudent. » Nihilominus hodie spectata Bulla Gregorii XIV, Resp. negative, Barbosa, lib. II, *Jur. Eccl. univ.* cap. III, n. 120. Farinacius, in *Append. de Immunitat.* cap. XVI, n. 208; Diana, part. I, tract. I. resolut. 2; Delbene, *de Immunitate*, cap. XVI, dub. 49, n. 10; Peregrin. *de Immunitat.* cap. VI, n. 23; Hænnoldus, tom. VI. *de Jur. et just.* tract. I, n. 198, et alii post dictam Bullam scribentes. Probatum principaliter ex Bulla Gregorii XIV. ubi § 2, expresse declaratur, sola crimina a se ibidem expressa privare. Asylo, « non item alia, etsi æquipolleant aliis in jure expressis, aut adsit paritas, identitas, aut majoritas rationis; » atqui Papa solum homicidia, et mutilationes in ecclesiis, vel cœmeteriis commissas ibidem exprimit; ergo. Et certe, si Pontifex voluisset etiam alia delicta in ecclesiis commissa asylo carere, nocivè duo in specie expressisset, dando prælatis ecclesiæ ansam errandi: præsertim cum faciliter dixisset, « delinquentes graviter in Ecclesia. » Confirmatur ex declaratione allegata n. 100. et alia apud Jacob. Pignat. tom. VI, consult. 4, n. 94, ubi declaratur, quod « furans in ecclesia gaudeat immunitate, possit tamen mitti in exsilium, 15 januarii 1647. »

## § V.

DE RELIQUIS CRIMINIBUS ASYLO PRIVANTIBUS, VIDELICET HOMICIDIO PRODITORIO, CRIMINE ASSASSINI, HERESIS, LÆSE MAJESTATIS: UBI ETIAM DE ALIIS CRIMINIBUS: ITEM DE FUGIENTIBUS E CARCERE, AUT MANIBUS SATELLITUM.

114. *Homicidium proditorum privat asylo. Deliberate et ex proposito occidentes secundum*

*aliquos sunt proditorii rei, et indigni asylo.* — Quantum crimen specialiter in bulla exceptum immunitate privans est homicidium proditorium; uti expresse liquet ex bulla, ibi: « Qui proditorie proximum occidunt, » circa quod:

Quæritur I. Quid ad propositum sit homicidium proditorium? Ante responsionem notandum, inter doctores maxime controversam esse hanc quæstionem, ex cujus decisione dependet resolutio plurimorum casuum de homicidiis, an immunitate gaudeant? Et quidem tres principales in hoc casu reperiuntur opiniones. Prima est Barbosa, in c. 1. *de Homicidio*. Fachin., lib. IX, *Controv.* cap. XCIII; Molina, *de Jur. et just.*, tract. III, disp. 23, n. 3. et plurium aliorum volentium, quemvis homicidam voluntarium ex proposito et industria, etsi absque veris ac certis insidiis commissum, aliquo modo proditorie, sicque indignum esse asylo; idque probare conantur ex eo, quod per bullam Gregorii XIV, *Proditorios homicidas*, privantem asylo non fuerit correctum jus commune antiquum, arg. c. *Cum expediat de Elect.* in 6. de jure autem antiquo an tale homicidium proditorium privans asylo satis fuerit esse factum ex industria, arg. c. 1. *de Homicidio*. ibi: « Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo velles eum ut moriatur: » ubi particula *Et* sumitur in sensu disjunctivo, ut idem significet ac *vel*, prout subinde in jure accipi solet, quando nempe ratio, aut contextus legis id exigit. Idem probant ex Scriptura sacra Veteris Testamenti, *Exodi* XXI, 14. ubi præfata c. 1. verba formalia habentur, et vers. 12. ibi: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Concordat textus *Deuteronom.* XIX, 11: *Si quis odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, etc. arripient eum de loco refugii, et morietur: non misereberis ejus.* Item ex jure civili novell. 17. cap. VII. ubi voluntarii homicidæ asylo expresse declarantur indigni: quæ constitutio civilis utpote canonizata c. *Inter alia*. 6. h. t. etiam in foro canonico observanda videtur. Rationem dant, quia qui ex proposito occidunt, hoc ipso etiam insidiari vitæ, et per insidias occidere præsumuntur; qui autem per insidias occidunt, proditorie occidunt per dicenda n. seqq.

115. *Juxta alios ad proditorium requiruntur et sufficiunt insidiæ etsi inimicus occidatur.* —

Altera opinio est Covarruvæ, lib. II. *Variar. resolut.* cap. XX, n. 7; Barbosa, lib. II. *Juris Eccl. univ.* cap. III, n. 89, et seqq.; Gutierrez, *Pract. quest.* lib. I, q. 2, n. 3; Sanchez, lib. VI. *Concl.* cap. I, dub. 8, n. 26; Pirhing, h. t. n. 28, et aliorum docendum in materia asyli a. homicidium proditorium non sufficere, quod quis voluntarie etiam ex proposito, et industria occidatur, sed insuper requiri, ut etiam per veras, et certas insidias fiat, quod universaliter tunc fieri volunt, quando quis occidendum ita aggreditur, ut hic et tunc talis nullo modo se valeat defendere; prout fit, si quis veneno, vel a tergo, vel ex insidiis, vel scopeto e latebris, aut de nocte in tenebris, aut alio simili modo, nihil mali prævidens, neque potens hic et nunc se defendere, occiditur: sive dein præcesserit inimicitia sive non, sive sub specie amicitia, sive sine illa occidatur. Et quidem, quod requirantur insidiæ hujusmodi vel dolus, probant ex cit. c. 1. *de Homicid.* ubi ad homicidium privans asylo copulative requiritur, ut fiat « per industriam et per insidias: » quod idem etiam textus legis veteris num. præced. citati exigunt, ut *Deuteronom.* XIX, 11. ibi: *Si insidiatus fuerit vitæ ejus: et Exodi* XXI, ubi postquam vers. 12. positus fuit textus num. præced. citatus, statim vers. 13. subjungitur: *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem, confugere debeat.* Quod vero sufficiat homicidium per insidias esse commissum, nec requiratur, ut occisus fuerit amicus, vel saltem non inimicus; ex iisdem deducuntur juris, et Scripturæ textibus, ubi nulla facta mentione, vel distinctione amicitia, vel inimicitia solum requiritur, et sufficit, quod « per industriam, et per insidias » quis occidatur, eo quod « homicidium proditorie, et homicidium per insidias » sint synonyma, loc. cit. arg. l. *Capitalium*. 28. § *igne*. 11. ff. *de Pœnis*. l. *Servum*. 6. l. *Neque*. 7. l. *Ne liceat*. 8. c. *de Delator*. cum concordantiis. Tertiam opinionem ponit conclusio sequens, qua ad quæsitum:

116. *Homicidium proditorium proprie tate asylo privans, est omne et solum quod nulla præcedente inimicitia, aut rixa fit, a vero, vel simulato amico, aut ad amicitiam specialiter obligato.* — Resp. Per « homicidium proditorium » in Bulla Gregorii XIV. § 3. expressum, intelligitur proprie tale, quo nomine venit omne et solum illud, quod fit ab ami-

co, vel ex statu muneris, conditionis, aut personæ ad amicitiam, aut fidelitatem specialiter obligato, vel saltem sub aliqua amicitia, fidelitatis, societatis, vel necessitudinis specie, ita ut malitia ejus in hoc consistat, quod quis nulla præcedente inimicitia, aut rixa occidatur, a vero, vel simulato amico, vel ad amicitiam aut fidelitatem specialiter obligato, ita, ut prudenter nec timeatur, nec caveatur; prout fit, si nulla præcedente inimicitia vir uxorem, servus dominum, filius parentem aut e contra, aut si quis alius fratrem, socium itineris, commilitonem, contubernalem, familiarem occidit. Item, si quis positivus amicus quidem non existens, nec ad amicitiam, vel fidelitatem specialiter obligatus invenitur, tamen sub hujusmodi specie occidit, ut proin ubi amicitia vera, vel simulata, vel debita non intervenit, vel si hac interveniente præcesserit inimicitia, aut rixa per reconciliationem nondum sublata. Homicidium proditorium nunquam committatur, etsi quis ex industria, et per insidias v. g. a tergo, vel veneno, vel alio tali modo occidatur, ut hic et nunc defendere se non possit. Ita hodie post Bullam Gregorianam communissima, et quasi certa, signanter Jacob. Pignat. tom. IX, consult. 18. fere per totam, Farinacius, in *appendice de Immunitat.* cap. IX, n. 143; Pax Jordan. *Lucubr.* lib. II, tit. III, n. 342; Sperell. *decis.* 23. et *decis.* 175. plurimos alios citans.

117. *Verba legis in propria significatione accipienda sunt.* — Probatum imprimis, quod in Bulla Gregoriana *Homicidium proditorium* in sensu proprio accipiatur; tum quia regula universalis est, quod verba legis secundum propriam, et communi usu approbatam significationem accipienda sint, nisi aliter de mente legislatoris manifeste constet, arg. c. 2. § *Sed neque*. *de Translat. episc.* et l. *Non aliter*. 67. ff. *de Legat.* 3. ibi: « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse legislatorem; » tum quia Bulla Gregorii XIV. secundum eam partem, qua privat homicidium proditorium jure asyli est lex odiosa, quæ strictè interpretanda venit, c. *Odia*. *de Reg. jur.* in 6; tum etiam quia Gregorius Papa in præfata Bulla expresse dicit, « quod dilucida declaratione omnem dubitandi, et perperam interpretandi occasionem submovere intendat; quod propria, et juxta communem usum accepta, non item impropria significatione verborum fit; ergo.

118. *Prior numerus probatur ex Scriptura.* — Quod autem homicidium proditorium proprie tale sit omne et illud solum, quod n. præced. in conclusione diximus, probatur imprimis ex sacris paginis *Psalm. xl. 10.* ubi juxta communem interpretum Propheta in persona Christi contra Judam discipulum suum ad amicitiam specialiter obligatum conquerens ait: *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Et dein *Psalm. lrv, 13-15: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisse, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanims: dux meus, ac notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, etc.* quibus verbis quia secundum interpretes, proditiōnis, et proditorum status, ac natura describitur, satis clare innuitur, eam in solis veris, vel simulatis amicis, non vero in inimicis vel aliis reperiri, quia (subjungit textus) si inimicus maledixisset, sustinuissem utique, vel forsitan ab eo me abscondissem; sed quia amicus fecit, omni favore indignus, e contra morie censetur dignus, dum statim subjungitur: *Veniat mors super illos.* Idem habentur ex *ii. Reg. iii et xx.* ubi Joab duos principes militiæ Abner, et Amasa sub specie amicitiae occidit, et propterea a regum sapientissimo punitus est, etsi ad altare confugerit.

119. *Ex utroque jure.* — Probatur enim ex utroque jure tam civili, quam canonico, ubi ad verum proditorem, et ad proditorie agendum semper narratur, aut supponitur, ac requiritur amicitia vel ex officio, personæ debita, vel saltem signis falso simulata, ita ut de tali quid mali prudenter timere, consequenter præcavere quis non possit, uti constat ex *l. Servum. 6. c. de Delator.* ubi servus dominum deferens, proditorum pœnis subjicitur, quia ad fidelitatem, et amicitiam domino vi status sui est obligatus, et *l. Cujusq. 4. ff. ad Leg. Jul. majest.* ubi proditor habetur, qui vel ut dux, aut miles, aut alius pæ nota exercitum hostibus prodit: concordat *l. Omne, l. Prodiores. ff. de Re milit.* Idem desumitur ex jure canonico, arg. can. *Clericus qui. 3. dist. 46.* ubi proditores adulatoribus, qui utique amicitiam simulant, æquiparantur.

120. *Declaratione Pontificis et cardinalium.* — Probatur ulterius auctoritate Clementis VIII. qui speciali diplomate 6 februarii 1597.

ad archiepiscopum Panormitanum misso expresse declaravit, quod Gerardus Regius (de quo dubium proponebatur) gaudeat immunitate, consequenter homicidium proditorium non commiserit, etsi deliberato animo, et per insidias occiderit, uti videre est in ipso diplomate, quod per extensum refert Jacob. Pignatell. tom. IX. consult. 18. n. 29. Quod si quis cum Marco. Ital. *de Immunit. Eccles. lib. I. cap. v. § 4. n. 1.* et seq. mentem Pontificis aliter interpretari conetur, opponit se Farinacius, loc. cit. n. 143. dicens, se tunc temporis ut Fiscalem Romanum personaliter in facto informasse Clementem VIII, et ex ore proprio ejusdem responsum audivisse, consequenter melius mentem Pontificis percepisse, quam absentem Marcum Ital. et sequaces.

121. Probatur insuper ex repetitis declarationibus cardinalium in una Rhegiensi 12 octobris 1602. et in Bajanensi 6 aprilis 1622, in quibus dicitur «Proditor, qui aliquem, cui se tanquam socium, et amicum adjunxerit in via, nulla rixæ causa interveniente occidit, seu qui dolose sub amicitiae colore seducit aliquem, ut occidat.» Item in una Beneventana 18 augusti 1637. declaravit sacra Congregatio, «ad probationem homicidii proditorii requiri amicitiam præcedentem,» intellige vel veram, vel simulatam, vel debitam ex statu personæ, aut muneris. Rursus teste Jacob. Pignatell., loc. cit. n. 11. in una Bajanensi 6 aprilis 1612. declaravit, quod «Proditor non sit, nec homicidium proditorium committat, qui occidit inimicum suum per insidias, et a tergo:» ex quo rursus apparet requiri præcedentem aliquam veram, vel simulatam amicitiam. Plures similes declarationes vide apud Jacob. Pignatell. tom. IX. consult. 19.

122. *Et praxi.* — Probatur tandem tribunalium praxi et consuetudine, quæ est optima legum interpret, *c. Cum dilectus. 8. de Consuetud.* Constat enim, quod etsi non pauci præcipue in Italia inimicos suos a tergo, et per insidias occiderint, ex hoc capite immunitate nunquam fuerint privati. Imo emergente controversia, an homicidium fuerit proditorium necne? Reverendissimi ordinarii ad ferendam sententiam non soleant indagare, an homicidium fuerit per industriam, et insidias commissum, sed an præcesserint inimicitiae, vel rixæ necne? vel an vera aut simulata adfuerit amicitia necne?

123. *Respondetur ad argumenta contraria.* — Ad fundamenta secundæ opinionis n. 111. positæ (qua refutata corrui prima per se) quamvis per dicta jam pateat, nihilominus Resp. Textus Veteris Testamenti, etsi dato non concesso, aliquid contra conclusionem probarent, esse abrogatos per legem gratiæ. Ad *c. 1. de Homicid.* etsi varii varie respondeant, dico, illud, si in aliquo contrarium foret conclusioni fuisse correctum a Bulla Gregoriana, prout patet ex dictis, præsertim repetitis declarationibus cardinalium. Ad rationem, qua dicitur, insidias et proditiōnem esse synonyma, negatur. Ad textus juris civilis respondetur, ex iis nihil efficaciter probari, eo quod vel loquantur de casu, quo inter aliquos versabatur vera, aut simulata, aut debita amicitia, vel loquantur de proditiōne, et proditoribus improprie dictis, qui per Bullam Gregorianam non sunt privati asylo, per dicta supra n. 117.

124. *Occidens non inimicum, aut amicum negative per insidias, gaudet asylo.* — Haunoldus, tom. VI. tract. I. n. 215, postquam cum doctoribus n. 116. citatis docuit, ad homicidium proditorium requiri, quod fiat ab amico vero, vel simulato, addit, hoc non esse intelligendum de amico positive, sed negative, id est, non inimico, ita ut juxta hunc universaliter omnis ille dicatur homicida proditorius, qui nulla præcedente inimicitia proximum occidit, etsi positiva aliqua vera, vel simulata amicitia non præcesserit, nec vi status personæ, vel muneris debita fuerit, quod alios doctores non advertisse asserit. Verum specialis hæc cujus cæteris doctissimi viri observantia non videtur attendenda, ob sequelas communissimæ aliorum, declarationibus cardinalium, ipsique Haunoldo contrarias: v. g. quod aliquis in futurum latrocinari intendens privetur asylo, qui tantum semel peregrinum aliquem penitus ignotum prædæ causa ex insidiis occidit; quia talis homicida fuit revera negative amicus occisi, seu non inimicus ipsius, quod tamen non subsistere, ac insuper contra ipsum Haunoldum militare patet ex dictis n. 91. Dein, quod quivis etiam in itineribus non publicis occidens aliquem quemcunque tandem nulla præcedente rixa, aut inimicitia solius prædæ ab occiso acquirendæ causa, vel spe aliquid etsi non promissum a tertio consequendi, careret asylo, quia etiam talis erit occisi amicus negative, seu non inimicus; quod tamen iterum est contra

præfatum doctorem loc. cit. n. 224. Tenendum proinde, quod ad homicidium proditorium non sufficiat: si fiat ab amico negative, sive non inimico, sed ut diximus in conclusione, quod nulla præcedente inimicitia aut rixa fiat ab amico positive vero, vel simulato, vel ad amicitiam, aut fidelitatem vi status personæ, muneris, aut alterius rationis specialiter obligato, eo quod malitia hujus vitii præcise consistat in hoc, quod nulla præcedente inimicitia, aut rixa quis occidatur a vero, vel simulato amico, aut ab eo, qui amicus, ac fidelis esse specialiter obligatur, talisque esse supponitur, et propterea ab eo, non tantum non præcavetur, sed cum eodem ita vivitur, et communicatur, ut occulte occidere ei difficile non foret. Ita hodie post Bullam Gregorianam communis, præsertim citati n. 116. inter quos Jacob. Pignatell. loc. cit. n. 51. et seq. cerebrosos vocat docentes homicidium proditorium ex eo solo committi, quod quis occidat non inimicum seu amicum negative; defenditque opinionem contrariam ad longum.

125. *Proditorius est, qui nulla præcedente inimicitia parentem, prolem, etiam infantem, aut in utero existentem, conjugem, fratrem, affinem, consanguineum occidit.* — Infertur homicidium proditorium esse I. Si quis nulla præcedente inimicitia parentem, prolem, conjugem, affinem, consanguineum, proximum occidit: quia hi omnes amici vel sunt, vel esse debent; ideoque ut tales supponuntur, prout jam dictum supra in conclusione n. 116. Quibus adde casum, quo quis talem etiam usu rationis carentem, v. g. fætum in utero materno, aut infantem, aut amentem v. g. spe hæreditatis, aut timore confusionis occidit: prout declaravit sacra Congregatio apud Jacob. Pignatell. tom. VI. consult. 4, n. 151 et 152, illis verbis: «Mater occidens filium infantem non gaudebit immunitate,» sacra Congregatio concil. 3 decemb. 1632. Item «malis medicamentis procurans abortum non gaudet ecclesiæ immunitate.» Eadem sacra Congregatio 3 decemb. 1632, et docet Farinacius, in appendice *de Immunitat.* cap. x, n. 138; Jacob. Pignatell. tom. IX, consult. 18, n. 20. Ratio est, quia tales homicidæ etiam respectu horum etsi usu rationis privatorum revera fuerunt, vel esse debuissent amici; ut proin audiendus non sit Haunoldus contrarium docens quoad occisos usu rationis carentes, cit. tom. VI. tract. I. n. 215, ad finem.

126. *Vel contubernalem, socium itineris, commilitonem, hospitem, patremfamilios.* — II. Homicidium proditorium esse, si quis nulla præcedente inimicitia dominum suum, familiarem, contubernalem, commilitonem, socium itineris occidit; quia hi omnes vi status, conditionis, et muneris sui sunt, vel deberent esse, ac supponuntur amici, ac fideles. Idem dic, si caupo, *Wirth, oder Gastgeb*, peregrinum seu hospitem susceptum, vel hic illum interficit; quia et hi ad amicitiam et fidelitatem reciprocam vi conditionis et muneris præsentis specialiter obligantur. Item ob eandem rationem, si quis miles in hibernis, vel alias in quartiro existens occidat suum patremfamilias, aut dominum quartiri, vel e contra: si enim ex eo solo, quod quis se jungat socium itineris, ita vi muneris censeatur et supponatur amicus, et ut talis occidere iudicetur, asyloque privetur, prout declaravit sacra Congregatio allegata n. 121, idem non minus dici potest de caupone erga hospitem, et e contra. Ex eadem ratione utique homicidium proditorium fuit non ita pridem factum, dum aliquis a quodam domino peregrino mercede conductus, ut ei viam ad certum locum monstraret, conductorem suum in sylva, spe prædæ occidit. Simile discurrere de omnibus aliis ex aliqua ratione ad amicitiam, aut fidelitatem illius, quem occidunt, obligatis.

127. *Vel sub specie amicitiae.* — III. Omnes illos homicidas proditorios esse, qui etsi ad amicitiam specialiter non obligentur, nec amici sint, eam tamen specialiter simulant, sicque sub specie, aut signis amicitiae occidunt.

128. *Vel inimicum reconciliatum.* — IV. Esse homicidam proditorium, qui inimicum jam reconciliatum, vel cui fides de non offendendo data est, nulla nova inimicitia aut rixa emergente occidit, prout bene docet Farinacius, lib. II, consil. 168, n. 73; Curtel. *de Immunitat.* lib. I, q. 23; Haunoldus, loc. cit. n. 216; Pignat. tom. I, consult. 102, per totam, ubi rem egregie probat, et dicit ita sentire vere omnes tum juristas, tum theologos, quamvis dein tom. IX, consult. 3, n. 3, et consult. 18, n. 26, immemor præcedentis doctrinæ contrariam videatur manutenere, Delbene, et alii communiter contra Dianam, part. IV, tract. I, resolut. 33, et paucos alios. Ratio est, quia tunc vere sub specie amicitiae, quam promisit, vel simulavit, consequenter proditorie occidit,

per dicta n. præced. Notandum tamen cum Pignat. tom. VI, consult. 18, n. 26, citante plures alios, ad inducendam reconciliatorem, aut injuriæ remissionem non sufficere communes salutationes, colloquia, convivia, si ad hæc non sponte, ac motu proprio, sed ex quadam honestatis necessitate, vel casuali interventu in domo aliena, vel societate aliorum devenit est.

129. *Homicidium f. proditorium non est, quoad fit præcedente ira, rixa, inimicitia, etc. vel in duello.* — Inferitur e contra homicidium proditorium non esse, quod committitur præcedente ira, indignatione, inimicitia, rixa, verborum contentione, etc. doctores n. 116 citati. Et quia saltem unum ex his semper in duello accidit, ideo in hoc occidens non est proditorius, sed gaudet asylo, sive alias amicus fuerit, sive inimicus, qui occidit. Pignat. tom. IX, consult. 18, n. 33; Farinacius in appendice, *de Immunitat.* cap. VII, n. 17, et alii communiter.

130. *Assassinii crimen, et assassinus, quid? et quinam?* — V. Crimen exceptum asylo privans est assassinium. Omnes, ob expressam dispositionem Gregorianam, *Cum alias.* § 3, ibi: « Si fuerint assassinii rei. » Concordat c. 1, *de Homicid.* in 6, circa hoc crimen.

Quæritur II. Quid sit, et dicatur assassinium? et quinam veniant nomine assassinorum? Item quæ requirantur ad hoc, ut asylo priventur? Resp. I. Crimen assassinium est, et dicitur, quando pro pecunia, aut alia re pretio æstimabili accepta, vel promissa committitur homicidium. Assassinii vero sunt et dicuntur tam illi, qui pretio conducti alium occidunt, quam qui pretium dant, aut promittunt, ut homicidium committatur. Ita doctores communiter arg. c. 1, *de Homicidio.* in 6, quamvis enim olim assassinorum nomine soli venerint certi quidam infideles ad occidendos christianos destinati, de quibus etiam loqui videtur cit. c. 1, *de Homicid.* in 6, tamen hodie ex communi sensu doctorum et consuetudine « quæ est optima legum interpretis, » c. *Cum dilectus. de Consuetud.* venit quivis, sive fidelis, sive infidelis, isque tam pretio conducens, quam conductus ad occidendum, ut videre est apud Farinacium, *de Immunitat.* q. 8, n. 110, et n. 128.

131. *Ut privet asylo, debet fieri secuto effectu morte nempe.* — Resp. II. Ad hoc, ut assassinii priventur asylo, plura requiruntur.

Veluti I. Ut effectus, id est, mors actu sit secutus: hinc immunitate gaudet tam conducens, quam conductus, si ex vulnere, vel alio actu ad occidendam posito læsus non moritur; Jacob. Pignat. tom. IX, consult. 43, n. 9; Farin. *de Immunit.* cap. VIII, n. 123, in fine, et *de Homicid.* q. 123, n. 77; Dian. part. I, tract. I, resolut. 18, ac plures alii a Pignat. citati. Probatur ex Bulla Gregoriana, quæ sicut in aliis delictis non nisi secuto effectu privatur asylo, ita etiam de assassinio interpretanda venit, accedente præsertim consuetudine, « quæ est optima legum interpretis. » l. 37, ff. *de Legib.* Ratio est, quia juxta regulam universalem verba legis pœnalis intelligi debent cum effectu, nisi aliud exprimat in jure arg. can. *Hæc autem verba. de Pœnit.* dist. 1, ibi: « Hæc autem verba cum effectu accipimus: » ubi Glossa dicit: « Voluntatem sive conatum non puniri sine effectu. » Accedit, quod lex pœnalis sit stricte interpretanda, arg. c. *Odia, de Reg. jur.* in 6.

Dices, qui intendens occidere tantum vulnerat, est verus *Assassinus*, arg. c. 1, *de Homicid.* in 6, ibi: « Quanquam mors ex hoc forsitan non æquatur; » atqui Constitutio Gregorii XIV, quamvis assassinii reum indistincte privat immunitate, ergo indistincte venit intelligenda, arg. l. *de Pretio.* ff. *de Publician.* in rem act. Resp. distinguendo. Est verus assassinus in ordine ad incurrendas pœnas cit. c. 1 statutas, conceditur; in ordine ad privationem immunitatis statutam in Bulla Gregoriana negatur, ob rationes n. præced. positas. Accedit, quod obiectio nimium probaret, videlicet, quod si post factam, et acceptatam conductionem, tam conducens, quam conductus statim evaderent, et essent assassini, c. 1, *de Homicid.* in 6, hoc ipso statim etiam essent privati asylo, etsi conductus nil adhuc tentaverit, nullumque sit aggressus. Quod est falsum, et contra ipsos adversarios ac contra declarationem cardinalium apud Jacob. Pignat. tom. II, consult. 68, in una Sarzanensi 21 februarii 1620, ibi: « Antequam sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet immunitate. » Quæ declaratio etiam servit pro probatione conclusionis.

132. *Vulnerato non sufficit.* — Illud certum est, « quod gaudet immunitate ecclesiastica, qui mandat, et mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum vel promissum ad faciendum ferro cuicumque de-

formandum, aut vulnerandum; quia tales improprie sunt assassini. » Ita enim in terminis declaravit sacra Congregatio in Neapolitana 25 junii 1601, et tenet cum communi aliorum Pignat. tom. IX, consult. 43, n. 11; Farinacius, loc. cit. n. 134.

133. *Item requiritur pretium certum, ac specificum.* — VI. Juxta probabiliorum, et communiorum requiruntur, ut pretium aliquod certum, ac specificum, seu determinatum in pecunia, vel alia re consistat: incertæ enim, generalis ac vagæ rei promissio ad constituendum assassinium non sufficit. Farinacius in appendice, *de Immunitat.* cap. VIII, n. 131, ubi allegat declarationem cardinalium, Bonacina, disp. 3, q. 7, *de Immunit.* punct. 4, n. 18; Lezana, *de Immunitat.* n. 13, et alii plurimi contra Mascardum, conclus. 138, n. 12; Delbene, *de Immunitate*, cap. XII, dub. 21, sect. 1, n. 12, et alios. Ratio est, quia rei in genere, aut incertæ promissio non obligat, nec valet, arg. l. *Triticum.* 94, et l. *Ita stipulatus.* ff. *de Verb. obligat.* unde inferitur, assassinium non esse, si conducens, aut mandans sequentibus, aut similibus utatur formulis: « Occide mihi hunc, et ego tibi aliquid notabile dabo: » vel, « Dabo tibi pecunias, et compensabo, quod sis futurus contentus, » etc.

134. *An sufficiat leve.* — Porro requirunt aliqui, ut Farinacius, *Praxi criminali. de Homicid.* q. 123, n. 43; Pignat. tom. IX, consult. 43, n. 32; Ambrosin. *de Immunitat.* c. VII, sub. n. 9, et alii, quod pretium certum in quantitate notabili detur, ita ut arbitrio judicis movere possit ad tam immane scelus patrandum. Verum quamvis dato, vel promisso pretio levi, in dubio non præsumatur intuitu illius homicidium esse commissum, et consequenter assassinii reus quis judicandus non sit, ut bene observant citati doctores; tamen si constat, aliquem etiam levi pretio inductum esse ad occidendum, revera assassinii reus erit, ut bene docet Castro Palao, tract. XI, disp. un., p. 9, n. 34; Delbene, loc. cit. n. 10; Haunoldus, tom. VI, t. I, n. 222. Ratio est, quia parvitas pretii non minuit, sed auget delictum ex eo, quod vitam proximi tam levi pretio postponat. Proæ ex simili ratione etiam non datur parvitas materiæ in simonia.

135. *Spe præmii occidere non est assassinium.* — Illud certius est, assassinium non esse, consequenter immunitate non privari, qui absque pretio sibi dato, vel promisso,